

viter filium qui patri diviti furatur duo, aut tria scuta; imo dicit Ban. quod a patre valde opulento non est mortale furtum, nisi ascendat ad 5. scuta; sed hoc rationabiliter respuunt de Lugo et La-Croix nisi esset filius principis. Et idem dicit Holzm., qui contra admittit non esse grave accipere decem scuta a patre nimis divite; Sanch. admittit usque ad sex. Si vero pater mitteret filio, qui alibi studeret, centum scuta, dicunt probabiliter Sot. Navar. Laym. etc. filium posse impendere quinque eorum in honestas recreationes (1). Adverit tamen Less. quod licet filius peccasset graviter furando patri, non est obligatus restitutioni quando furtum est jam consumptum, et præsumitur pater nolle ad tantum eum obligare (2). An autem filius negotiando in domo paterna possit sibi compensare de salario suorum laborum, observetur quid dicemus infra punct. 10. num. 228. loquendo de societate.

33. 2. Circa furta uxorum etiam requiritur major materia. Potest ceteroquin uxor accipere aliquid pro expensis necessariis familiae, si vir parum curat de eis, ut dicunt Bonac. Trullench. et Bus. (3). Præterea si uxor habet parentes, aut filios alterius matrimonii pauperes, potest accipere aliquid ex bonis communibus, et etiam viri, quantum sufficit illis, ut juxta eorum statum vivant, licet vir repugnet, quia ejus repugnantia est irrationabilis; ita Navar. Castrop. Less. Busemb., etc. imo Lugo Mol. Sanch. Less. et Trull. admittunt hoc etiam pro fratribus pauperibus. Advertendum tamen quod, si uxor dat bona viri aut communia filiis egenis primi matrimonii, tenetur post suam mortem recompensare filiis secundarum nuptiarum (4). Nusuper bene potest impendere in elemosynas et dona, juxta sibi æqualem morem, ut communiter dicunt

(1) I. 3. n. 543. — (2) n. 544. — (3) n. 541. v. 5. — (4) n. 542.

dd. Dicit Mol. cum nonnullis aliis posse uxorem impendere in hoc vigesimam partem annuorum reddituum sui viri, nempe quina in centena, sed hæc summa merito judicatur excedens a Lugo Sporer, etc. saltem universaliter loquendo (5).

34. 3. Circa furta servorum communiter dicunt dd. ut Less. Cajet. Navarr. Sanch. Sporer Busemb., etc. quod furta minuta, quæ fiunt a servis de cibis, qui non solent caute servari, nunquam deveniunt ad culpam gravem: modo illos non vendant, aut foras extrahant: et modo non accipiant in extraordinaria quantitate; aut (addendum) si non essent res pretii extraordinarii (6).

CAPUT III.

DE RESTITUTIONE.

PUNCTUM I.

Unde oritur restitutio, et ob quam culpam illa debetur.

35. et 36. *Quando adsit obligatio restituendi.*

37. *De radicibus restitutionis.*

38. et 39. *De culpa theologica, et juridica.*

40. *An culpa venialis obliget ad restitutionem*

41. *An in contractibus et officiis sola culpa juridica obliget.*

35. Præsens materia restitutionis sedula consideratione indiget, tum quia scatet quæstionibus implicatissimis, tum quia confessarius æque scrupulum sibi facere debet, si non obligat ad restitutionem penitentes qui restituere tenentur, ac si obliget qui non tenentur. Et præcipue si obliget eos qui sunt possessores bonæ fidei, qui etiam ex sententia auctorum qui rigorem profitentur (ut Habert Natalis de Alexand. Wigandt, Henno, etc.), non debent cogi, ut se privent suis bonis, nisi constet eos injuste possidere alienum. Ideoque tam in hac materia restitutionis, quam in ea capituli sequentis de contractibus, in opere majoris molis theolo-

(5) n. 540. — (6) n. 541.

giæ moralis curavi operam et diligentiam extraordinariam impendere. Idcirco opus est etiam, ut in hac praxi fusius solito sermonem proferam in notando dd. varietatem opinionum circa multas quæstiones, et eorum rationum momenta, saltem strictim cursimque, quam potui.

36. Restitutio definitur: *Est actus justitiæ commutativæ, quo reparatur damnum proximo illatum per injuriam.* Dicitur 1. *actus justitiæ*, quia non omnis læsio, quæ proximo infertur (ut si esset contra charitatem aut aliam virtutem) inducit restitutionis obligationem, sed duntaxat illa quæ læditur jus quod proximus habet in re vel ad rem super aliqua re. Dicitur 2. *justitiæ commutativæ*, quia læsio justitiæ legalis, quæ respicit legum observantiam et distributivam quæ respicit personarum merita circa præmia, aut pœnas non inducit restitutionis obligationem. Dicitur 3. *quo reparatur damnum proximo illatum per injuriam*; quia restitutionis obligatio non oritur tantum ex furto, sed etiam ex damno quod fit proximo cum ejus injuria (1).

37. Radices sive rationes restitutionis, quæ communiter a moralistis assignantur, duæ sunt: 1. *Ex injusta acceptione*, cui conjungitur radix *ex injusta damnificatione*. 2. *Ex injusta retentione*, cui conjungitur altera radix *ex obligatione contractus* (2).

38. Præterea advertendum est alteram esse culpam theologicam quæ afficit conscientiam, et proprie est peccatum. Alteram esse juridicam quæ respicit leges; et hæc dividitur in *latam* quæ est cum omittitur diligentia; quam ordinarie adhibent omnes: in *levem* cum omittitur diligentia, quæ adhibetur a viris diligentibus: et *levissimam*, cum omittitur diligentia, quæ utuntur diligentissimi. Et loquendo de hac culpa juridica, dicunt dd. si contractus est

(1) L. 3. n. 547. — (2) N. 548.

in commodum recipientis rem, ut sunt precarium, et commodatum, commodatarium teneri ad restitutionem ob culpam levissimam: si contractus est in commodum habentis rem, ut est depositum, depositarium teneri tantum ob culpam latam: si vero contractus est in commodum utriusque partis, tunc recipientem teneri ob culpam levem (3).

39. Hoc posito, dicunt communiter dd. ob solam culpam juridicam neminem teneri in conscientia ad restitutionem sub culpa gravi nisi adsit etiam culpa theologica gravis; ita Nav. Sotus Azor. Less. Cabass. Lugo Laym. Salm. Ronc. et ceteri omnes. Ratio est quia, ut conscientia obligata remaneat, opus est ut in conscientia sit patratum delictum; et quia obligatio est gravis, oportet ut gravis fuerit culpa. Hinc qui non intendit, nec prævidit damnum proximi (saltem in confuso), etiamsi det operam rei illicitæ, ad nihil tenetur: prout ad nihil tenetur fur qui furatum pergens, furtum non fecit, atamen sua protectione fuit causa (sed omnino casualiter) incendii segetum; ita Less. Rebell. Bonac. Salm. et alii communiter (4).

40. Queritur 1. an culpa venialis obliget ad restitutionem? Oportet distinguere; si culpa est venialis ratione parvitas materiae, utique obligat ad restitutionem, sed non amplius quam sub levi. Si autem culpa est venialis ratione imperfectæ advertentiæ, aut non pleni consensus (ambæ conditiones necessariae ad peccatum mortale, ut dictum est Tr. 3. num. 24. et 26.), tunc alii dicunt, ut Layman Mol. La-Croix, etc., inducere obligationem restituendi tantum materiam levem, pro modo culpæ. Sed sententia communior, et probabilior Lessii Lugo Sanch. Azor. Sa p. Navar. Filiuc. Ronc. Viva et aliorum multorum, tenet inducere nullam obligationem restitutionis, nec sub culpa gravi, nec levi. Ratio est:

(3) N. 549. — (4) N. 550 et 551.

non sub culpa gravi, quia talis obligatio proportionem non habet cum culpa levi: non sub levi, quia levis obligatio proportionem non habet cum materia gravi (sic ratioginatur sapientissimus Cardinalis de Lugo, qui in decidendis dubiis investigare bene scivit rationes intrinsecas, quin aliquis sibi ducatum præbuerit); tanto magis quod culpa quæ perfecte non est deliberata, non potest inducere perfectam obligationem (1).

41. Quæritur 2. an in contractibus sufficiat culpa juridica, ut obligetur quis ad restituendum, vel solvendum? Affirmant probabiliter Laym. Navarr. Mol. Vasq., etc. quia ad id obligat lex contractuum cui contrahentes se subijciunt; sed non improbabiliter negant Sotus Tolet. Less. Lugo Filhuc. Sa Croix Ronc. Salm., etc. qui dicunt æquum non esse obligare aliquem in conscientia ad gravem pœnam sine gravi sua culpa, quoties non constat eum voluisse se subijcere soli culpæ juridicæ. Et idem probabiliter dicunt Sotus Less. Lugo Vasq. Salm., etc. de culpæ commissis in officiorum administratione (2).

PUNCTUM II.

DE IIS QUI RESTITUERE TENENTUR.

42. et 43. *De cooperantibus et I. de mandante.*
 44. *II. De consilium dante.*
 45. *In dubio an consilium. etc.*
 46. *Si executor jam determinatus erat.*
 47. *Si consilium dedit de minori damno.*
 48. *Si revocat consilium.*
 49. *Qui ex ignorantia dat consilium.*
 50. *III. De præbente iniquum suffragium.*
 51. *IV. De palpone.*
 52. *V. De receptatore.*
 53. *Qui emit a fure, an possit ei rem reddere.*
 54. *VI. De participante.*
 55. *Si multi domum incendunt.*
 56. et 57. *Qui ex timore proprii damni cooperatur.*
 58. *Qui impedit volentem damnum impedire.*
 59. *VII. De causis negativis.*

(1) L. 3. n. 552. et 553. — (2) N. 554. et 555.

60. *Quis cooperantium prius teneatur; et si creditor remisit uni suam partem, etc.*

61. *Qui impedit proximum a justo bono, etc.*

62. *Qui impedit fiscum ne interceptum capiat.*

63. *Qui impedit odio, sed sine malis artibus.*

42. Præter principales qui furantur, aut damificant rem alienam, ad restitutionem tenentur omnes cooperatores, qui sunt causa influens et efficax damni proximi, aut qui ex justitia tenentur damnum impedire, et non impediunt. Hi comprehenduntur sequentibus versibus:

1. *Jussio*, 2. *consilium*, 3. *consensus*, 4. *palpo*, 5. *recursus*.

6. *Participans*, 7. *mutus, non obstant, non manifestans*.

43. Et incipiendo a i. *jussio*. Tenetur restituere mandans qui expresse aut tacite jussit aliquod damnum fieri; non autem ille qui tantum approbavit aliquam damnificationem factam; aut antequam mandatum executioni daretur, illud revocavit, mandatario revocationem significando (3).

44. II. *Consilium*. Tenetur etiam restituere qui damni consilium dedit: prout etiam qui alium inducit ad inferendum damnum, contra propos. 39. damnatam ab Innoc. XI. quæ eum excusabat. Notandum hic i. licet consilium dans non teneatur ad restitutionem, cum graviter non peccavit in dando malo consilio; tamen postea tenetur ex justitia facere quantum potest sine suo gravi incommodo, ut impediatur damnum, prout tenetur etiam ex justitia ignem extinguere, qui sine culpa sua gravi domum alienam incendit: Sanch. Less. Viva, etc. communiter (4). Notandum 2. si executor erat jam determinatus ad damnum ferendum, tunc ad nihil teneri consilium dantem, ut dicunt communiter Les. Mol. Vasquez, Buzemb. Viva, et alii ex s. Thoma (5), qui docet injuriam sine damno ad

(3) n. 557. et 558. — (4) lib. 3. n. 564. in fin. — (5) Opusc. 73. c. 20.

restitutionem non obligare: *Si aliquis passus sit injuriam* sunt verba s. Doct.) *et non damnum, illi non facienda de jure restitutio realis*. Secus autem esset si executor motus sit etiam ex consilio, quia tunc consilium dans est jam causa efficax damni (1).

45. Sed dubitatur i. an teneatur ad restitutionem consilium dans in dubio an suum consilium fuerit necne causa damni? Negant Silvest. p. Navar. Rebell. Henriq. Salm. Busemb. Elbel. Dicast., etc.; et hujus opinionis videtur esse etiam s. Thomas (2). qui dicit tunc tantum teneri consilium dantem aut palpone, *cum probabiliter estimari potest quod ex hujusmodi causis fuerit injusta acceptio subsecuta*; et illud probabiliter facile intelligi potest de probabilitate pro una sola parte, ita ut constituat persuasionem moraliter certam. Ratio horum dd. est, quia nemini potest imponi obligatio certa restitutionis, nisi est certus se causam damni fuisse. Contra affirmant Habert, Lugo, Sanch. La-Croix, Ronc. etc., et dicunt in tali dubio possidere delictum, et præsumptionem quod ipse consilium dans fuerit causa damni. Hoc non obstante non puto improbabilem primam sententiam, quia non semper, ut dicit ipse Angelicus loco citato, consilium in effectum operatur. P. Concina tenet consilium dantem in tali casu teneri pro rata dubii; sed nos replicamus quod nemo potest certa obligatione onerari, cum non fuit certa causa damni. Si tamen consilium dans jam fuit damni causa, ille tenetur restituere, licet non defuisset qui idem consilium fuisset daturus (3). Hoc vero quod dicitur est circa consilium dantem, dicitur de quolibet alio cooperatore in dubio suæ cooperationis (4).

46. Dubitatur 2. cum aliquis jam est paratus ad damnum inferendum, et tu tantum suades modum, aut tem-

(1) L. 3. n. 561. — (2) 2. 2. q. 62 a. 7. — (3) J. 3. n. 562. — (4) n. 575.

pus, v. g. veneno, et non gladio, aut hodie, non cras, etc. an tenearis ad restitutionem? Affirmant Cajet. Molin. Viva, etc. quia (ut dicunt) executio damni sine tuo consilio fuisset incerta, cum potuisset ille a voluntate desciscere. Sed communiter negant Less. Laym. Lugo, Holzman, et Sporer; et dicunt probabile esse Salm. cum s. Antonino, Navar., etc. quia in tali casu consilium dans non est causa efficax quoad damni substantiam: et rationi oppositæ respondent, quod tunc non possidet jam consilium, sed prava determinatio jam facta ab executore. Ego attamen dico, quoties dubium est an executor voluntatem mutasset, aut si damnum non eodem modo accidisset, teneri consilium dantem ad restitutionem; nam possidet pravum consilium quod jam suum certum effectum assecutum est (5). Secus vero si esset moraliter certus quod damnum sine suo consilio etiam evenisset.

47. Dubitatur 3. an illi, qui paratus est damnum majus inferre, possit suaderi minus? Respondemus affirmando cum Sanch. Bonac. Busemb. Viva, etc. modo damnum sit circa eandem personam; dum nequit suaderi damnum (licet minus) alteri particulari inferendum, et neque (ut ego sentio cum Sporer contra Vivam) in genere aliis, quia tunc consilium etiam fit causa damni alterius (6).

48. Dubitatur 4. an consilium dans deobligetur, cum revocat consilium ante damni eventum? Prima sententia communissima cum Less. Lugo, Habert, Croix, Holzm. et Sporer distinguit: si simplex consilium dedit, sufficit ut revocet illud; non autem si etiam modum, aut motivum damni exequendi insinuavit. Ratio est valida, quia tunc, licet revocetur consilium, motivum et modus data semper pergunt movere; prout qui ignem domui applicat, licet conetur extinguere illum, etiam tenetur ad damnum. Secunda sententia contra cum

(5) n. 563. — (6) n. 565.

Concina, Merbes. s. Ant. Azor. Navar. Salmant., etc. (et eam vocant probabilem Less. Laym. Bonac. Roncag., etc.) excusat consilium dantem, semper ac ille modo, quo meliori potest, conetur damnum dissuadere: saltem adducendo rationem æternæ salutis, quæ cuicumque rationi humanæ prævalere debet. Nec obstat (ut dicunt) paritas ignis, quia ignis operatur necessario; sed cum consilium est revocatum, damnum non amplius accidit causa sua, sed malitia executoris. Non possum negare hanc sententiam esse probabilem, saltem auctoritate dd. qua fulcitur; sed utique prima mihi videtur probabilior. Sed in tali casu (ut advertunt Salm. Sporer, etc.) tenetur ex justitia consilium dans partem admone- re, ut caveat sibi a damno (1).

49. Dubitatur 5. an teneatur ad restitutionem qui ex ignorantia (sed culpabili) alicui suadet aliquid in illius damnum? Respondetur cum Less. Laym. Holzman, et Viva, quod si qui consilium præbet judicatur in suo officio, v. g. confessarii, advocati, etc. peritus, tunc tenetur; secus vero si pro ignaro habetur, quia tunc damni eventus potius imprudentiæ illius, qui consilium exequitur ignari, imputatur: intelligitur, modo consilium non sit datum dolo, sive animo pravo nocendi, quia tunc semper conciliator malus tenetur (2).

50. III. *Consensus*: intelligitur illius qui injuste suffragium dat sive votum, et suum votum est causa damni; quia illi qui non sunt causa, prout sunt ultimi ad votum dandum, peccant quidem; sed non tenentur ad restitutionem, modo ex communi consensu in conclusionem injustam non convenerint. Sed quaeritur quid dicendum cum quilibet suffragium ferentium non est certus, an suum votum fuerit causa damni? Alii dicunt omnes teneri *in solidum*; alii contra neminem ad aliquid teneri. Sed vera sententia cum Lug. Molin.

(1) L. 3. n. 559. — (2) N. 564.

et Sporer, est quod quilibet tenetur tunc pro sua rata ad damnum reparandum; et si alii non restituunt, teneri ad totum. Nec obstat quod superius n. 45. dictum est quod cooperans non tenetur, quando nescit se fuisse certam damni causam; quia in nostro casu quilibet suffragium ferentium, saltem jus, quod habebat damnum patiens ad recuperandum ab aliis suffragatoribus damnum acceptum, deterius fecit, et ideo quilibet tenetur ad totum damnum, si alii non restituunt (3).

51. IV. *Palpo*: intelligitur adulator qui inducit aut animum addit alicui ad damnum alteri ferendum, eum laudando, aut ejus animi abjectionem exprobrando (4).

52. V. *Rekursus*: intelligitur ille qui furem, aut res ablatas in tutum locum recipit. Hic tenetur ad restituendum semper ac est causa furti facti aut faciendi; et sic tenentur caupones qui accipiunt furta servorum, aut filiorum familias. Sed non tenetur caupo, qui post patratum furtum coadjuvat furem ad fugiendum: aut hospitaliter furem et furta in tutum recipit ex suo officio aut amicitia, ut dicunt communiter Conc. et Salmant. cum aliis. Hoc tamen intelligitur, ut bene advertunt Croix, Busemb. et Concina, modo caupo propter hoc non esset causa furtorum faciendorum (5).

53. Hic autem incidit sermonem facere de illa difficillima questione, utrum emptor bonæ fidei rei furtivæ possit eam restituere furi, ad recuperandum suum pretium? Prima sententia (quæ est communissima), id permittit, cum nullus alius modus occurrit recuperandi pretium solutum. Ita s. Anton. Lugo, Navarr. Less. Silv. Rebell. Soto. Holzm. Salmant., etc. qui dicunt quod emptor ex hoc non infert injuriam domino, quia rem in eodem statu in quo erat reponit. Secunda sententia negat cum Laym. Cajet, Mol. Croix, Concina,

(3) n. 566. — (4) n. 567. — (5) n. 568.

etc. qui volunt rem restituendam esse domino, quia cum e furis manibus liberata sit, jam in statu meliori existit; unde restituendo eam furi, non jam in pristinum statum remittit, sed in deteriore. Hæc sententia est valde probabilis, sed non minus est probabilis prima; etenim respondet Card. de Lugo rationi oppositæ: 1. Quod emptor non tenetur servare rem domino cum proprio damno: si quis (dicit) sumeret vestem alterius quam reperit, et postea animadverteret retentionem illius fore sibi damno, bene in eundem locum conjicere potest, licet prævideat alios fore eam sumpturos. 2. Emptor (et hæc est ratio potior) cum habeat jus ad rescindendum contractum, non potest ei denegari actio reddendi rem furi; nam talis actio absolute necessaria est ut rescindat contractum, et ut pretium suum recuperet, licet per accidens eveniat domini damnum (1). Et, ut dicunt Tolet. Prad. Silvest. Alens. Holzm. et alii (et probabile dicunt Less. Lugo, et Busemb.), hoc procedit etiamsi emptor mala fide emisset, quia tam emptor malæ quam bonæ fidei habet idem jus pretium suum contractus rescissione recuperandi. Et licet ille malæ fidei peccaverit in recipiendo rem a fure, nihilominus neque pro illa rei acceptione, neque pro redditione furi, est causa domini damni, cum jam habeat jus eam illi reddendi (2). Sola enim injuria proximo illata non obligat ad restitutionem, cum illa non est damni causa, ut dictum est præc. n. 44. cum s. Thoma (3).

54. VI. *Participans*: participans bifariam intelligi potest: aut ille qui participat de furto, et hic tenetur ad illam partem solam quam recipit, quoties ille non fuit causa damni ab aliis illati, quia tunc tenetur ad totum: aut ille est particeps actionis furti; et super hoc plures quæstiones occurrunt. Quaeritur 1. an qui

(1) L. 3. n. 669. — (2) n. 570. — (3) Ibid. in fine.

libet participantium, qui ad furtum concurrunt, teneatur restituere *in solidum*, nempe totum damnum? Distinguendum: si res est divisibilis ut vinea, frumenti acervus, etc. tunc motor principalis tenetur ad totum: reliqui ad solam suam partem, ut dicunt Lugo, Less. Navarr. Bonac. Salm., etc. licet ex communi consilio furentur; modo (excipiendam) alter non moveat, aut animum excitet alterius ad furandum; et idem esset si quolibet non concurrente furtum non fieret, nam tunc omnes tenentur *in solidum*. Quamvis quoad praxim rudes cum difficultate sibi suadere possunt teneri ad restituendum quod fuit acceptum ab aliis, et contra in eo casu præsumuntur ipsi domini fore contenti de sola uniuscujusque parte, ob timorem ne nihil recipiant, si cogerentur illi ad restituendum totum. Hinc est quod confessarius quemlibet istorum (præcipue, si est conscientia parum meticulosæ) hortetur ut restituat quod debet, quin quantitatem explicet, se remittens dictamini illius conscientia (4).

55. Sed majus dubium urget quando res est individua, v. gr. cum multi incendunt aliquam domum, navim, etc., an omnes teneantur restituere in solidum? Multi probabiliter affirmant, ut Sotus, Sanchez, Cajet. Ronc. Salmant., etc., quia tunc quilibet est causa moralis totius damni. Sed probabiliter etiam negant Silvest. Nav. Lugo, Spor. et alii qui dicunt quemlibet istorum teneri tantum ad suam partem; quia sicut qui concurrat ad partem damni dividui, licet cum aliis concurreret ad totum damnum, non tenetur nisi ad solam suam partem, ratione habita portio- nis rei circa damnum illatum; ita etiam qui ex parte concurrat ad aliquid damnum individuum, ad eam tantum partem tenetur ob causalitatem partialem, sive influxum partiarium, quem ille in ea re immittit,

(4) n. 579.

Sed hoc debet intelligi, quoties sine suo concursu etiam evenisset; quia si deficiente uno cooperantium, damnum non evenisset, tunc, ut dictum est, quilibet tenetur ad totum (1).

56. Dubitatur 2. an qui timore gravis damni inductus cooperatur in alterius damnum, excusetur a peccato, et a restitutione? In hac quaestione dd. locuti sunt valde confuse nec pro mea imbecillitate mihi videntur punctum attingisse mediis propriis principiis. Nonnulli universaliter excusant huiusmodi cooperantem, ut Sanchez, Less. et Busemb. Alii vero eum damnant, si ejus actio proxime in damnum concurrat, ut esset arcam infringere, res e domo extrahere, et huiusmodi; excusant autem si actio est remota, ut scalam tenere furi, claves tradere, transvehere furta; ita Bonac. Spor. Holzman, et Salm. licet Salmanticenses alibi dicant etiam has actiones remotas esse intrinsece malas, quia omnes (ut dicunt) cooperantur in actionem injustam furis, unde etiam ob istas cooperationes damnant cooperantem de peccato, et restitutionis. Ego in opere meo moralis alio modo hoc punctum distinxit, dicendo diversimode esse considerandam cooperantis actionem quoad domini damnum et diversimode quoad furis peccatum. Quoad damnum, dixi neminem posse cooperari ad damnum alterius, ut liberetur a suo, quando damnum est ejusdem ordinis. Qua de re fit, ut etiam cum periculo mortis teneat denegare gladium volenti occidere inimicum; quia non possum, ut me caveam a morte, cooperari positive in mortem proximi (2). Secus vero si damnum meum esset altioris ordinis, dum ut effugiam mortem aut infamiam, bene quidem cooperari possum in damnum alterius bonorum; quia tunc ego existens in extrema necessitate, dominus eorum esset irrationabiliter invitus, si repareret meae cooperationi (3).

(1) n. 579. v. Quæritur — (2) L. 3. n. 97. v. Teneris. — (3) n. 574. v. Secunda.

57. Quoad peccatum furis, dixi cum auctoribus primæ sententiæ quod ob evitandum meæ vitæ aut famæ damnum, tuto possum ponere actiones tam secundi quam primi generis, superius commemoratas, quia revera sunt pure materiales, et ex se omnes indifferentes, quia omnes sine peccato exerceri possunt; et licet furis ad malum finem abutatur, ego tamen non pecco; et tanto minus ad restitutionem teneor, cum ex justa causa eas exerceam, ut dictum est *Tract. 4. n. 31. et 32.* loquendo de cooperatione materiali, et ita mecum sentit etiam p. Molina, qui dicit posse licite captivos timore mortis christianorum bona accipere, *quoniam* (en rationem quam adducit) *sunt in necessitate eorum bonorum ad vitam conservandam.* Ita etiam sentit Contin. Tournely qui dicit: *Non teneor subire grave detrimentum, ut alterius peccatum avertam.* Ita pariter doctus p. Milante qui dicit: *Innoxie cooperatur, qui ex metu ad ea* (loquendo de bonorum damnis) *concurrat.* Si unquam (ego subjungo) esset intrinsece malum furi claves tradere, eo quia tunc cooperor illius peccato, ne possem quidem ei tradere claves domus meæ, ut me liberem a morte? sed quis hoc unquam cogitare potest? quare illas actiones tantum dico esse intrinsece malas quæ augent, aut confirmant pravam furis voluntatem: ut esset servare ei humeros, eum certiore facere de hora, aut modo magis commodo ad furtum exequendum, quia tales actiones sunt formaliter influentes in furis voluntatem, ideoque nunquam quocumque timore sunt licitæ. Ita ego distinxit, punctum suis principiis discutendo, et puto aliter dicendum non esse; cæterum sapientioribus hæc submitto. Observetur locus citatus (4).

58. Dubitatur 3. an teneatur ad restitutionem qui impedit alium, qui vellet avertere proximi damnum? Affirmant generaliter Navar. et Medina:

(4) n. 574, v. Participantes.

sed nos distinguimus cum Lugo, Less. Mol. et Croix, ita: si impedit vi aut fraude, tenetur; secus vero si solo consilio, aut precibus, quia tunc peccat contra charitatem, non autem contra justitiam. Hoc tamen intelligitur, modo ille alius non teneatur ex justitia illud damnum impedire (1).

59. VII. *Mutus, non obstans, non manifestans*: intelliguntur causæ negativæ, nimirum illi qui, cum possint impedire alterius damnum, loquendo, aut reum manifestando, et cum hoc debeant facere ex pacto, aut officio, id negligunt. Cujusmodi sunt principes, magistratus, exercituum duces, tutores, ecclesiæ administratores, custodes, satellites, et servi (2); sed servi dumtaxat quoad damnum exterorum, ut diximus *Tr. 7. n. 8.* An autem teneatur ad restitutionem confessarius, qui poenitentem non obligat ad restituendum, ut debet, vide quod dicitur *Trac. 16. de Sacramento Poenitentiae. n. 122.*

60. Hic notandum 1. quod inter præfatos cooperantes tenetur restituere I. loco, qui retinet rem; II. mandans, si res non existit; III. executor; IV. cæteræ causæ positivæ, ut consiliator, participans, etc.; V. causæ omnes negativæ (3). Notandum 2. quod si creditor remittit restitutionem damnificanti principali, censetur remittere etiam minus principalibus. Præterea si creditor promittat alicui ex æque principalibus eum non molestare, censetur remississe totam illius portionem; secus si creditor vellet exigere totum debitum ab aliis, promissio tunc esset vana, quia alicogent illum ad contribuendam illam partem, quam creditori debebat (4).

61. Præter præfatos cooperantes, tenentur ad restitutionem illi qui impediunt proximum ab alicujus justi boni consecutione. Sed in hoc distinguendum: si res erat ei debita ex justitia, quocumque modo eum im-

(1) n. 572. (2) L. 3. n. 573. — (3) n. 580. — (4) n. 581.

pedis, teneris ad restitutionem. S autem non debeatur ex justitia, tunc teneris, si vi aut fraude ab illius rei consecutione eum impedis; nam etsi proximus non habebat jus ad illam rem, nihilominus quisque habet jus ne malis artibus impediatur, ne aliquid bonum, quo non est positive indignus, consequatur. Et idem dicunt Salmant. si precibus importunis, aut metu reverentiali eum impedis (5); et tunc restitutio debet fieri pro modo spei, quam proximus habebat in illud bonum (6).

62. Sed hic quæritur 1. an teneatur ad restitutionem qui malis artibus impedit, quominus res interceptæ fisco applicentur? Respondeo cum Less. Sanch. Lugo, Azor. Salmant. et aliis communissime, teneri post sententiam, sed non prius; dum fiscus non acquirit jus ad pœnam, nisi post sententiam. Saltem, ut dicit Lugo, hoc jus fisci ad pœnas ita communiter receptum fuisse concipitur (7).

63. Quæritur 2. an teneatur ad restitutionem qui odio, sed sine malis artibus, impedit proximum a consecutione alicujus boni, quod cæterò quin ei juste non erat debitum? Alii affirmant, ut Lug. Caj. Salm. etc., dicunt enim tunc animum injustum reddere etiam injustam actionem. Sed alii probabilius, et communissime negant cum Less. Petrocor. Castrop. Navar. Vasq. Sot. Laym. Mol. Bon. Sanch. Ronc. Holzm. et aliis plurimis. Ratio est, quia ad restitutionis obligationem prava voluntas non sufficit, sed requiritur amplius actio externa graviter injusta, quæ de se externe jus proximi lædat, et influat in ejus damnum; aliter malevolus peccabit adversus charitatem, non autem adversus justitiam (8). Hinc infertur non teneri ad restitutionem, qui odio in suum inimicum dehortaretur (sed sine dolo aut vi) testatorem a relinquendo ei hæreditatem, aut Episcopum a beneficii col-

(5) n. 582. — (6) n. 587. — (7) n. 583. — (8) n. 584.

lacione : intelligitur de beneficio simplici, quia aliter dicendum est de curato ; quia (juxta sententiam probabiliorum) Episcopus ex justitia tenetur illud digniori conferre, postquam concursus adhibitus est (1). Observetur quid dicemus *Tract. 43. n. 37.*

PUNCTUM III.

CUI FACIENDA EST RESTITUTIO.

64. et 65. *Si bona sunt certa, et dominus longe abest.*
 66. *Si dominus vindicat rem e manibus tui emptoris.*
 67. *Si bona sunt incerta.*
 68. *De compositione.*
 69. *De bonis inventis.*
 70. *De thesauris.*
 71. *De feris in venatione captis.*
 72. *(Ua venatio sit prohibita clericis et Religiosis.*

64. Distinguenta sunt bona certa a bonis incertis : dicuntur *bona incerta*, quæ incertum habent dominum. Si igitur dominus est certus, ipsi proculdubio res restituenda est : dummodo illa accepta non sit e manibus tertii justii possessoris, v. g. a conductore, custode, etc. nam tunc ipsis, non domino, fieri debet restitutio : nisi esset, quod isti probabiliter ea re abusuri essent cum domini injuria (2).

65. Dubitatur 1. si dominus longe absit, cujus sumptibus res in ejus manus pervenienda sit ? Si res bona fide accepta est, expensa a domino fieri debet ; si autem mala fide, a fure. Sed quaeritur ad quantam expensam tenetur fur ? alii eum obligant quibuscumque expensis ; alii ad illam tantum quæ æquivaleret furti valori ; sed sententia mihi probabilior cum Mol. Sporer, et Tambur. est, furem teneri efficere ut res in domini manus perveniat, licet expensa superaret debitum ; et ut dicit de Lugo etiamsi futura esset duplo major. Si autem esset hoc excedentior, tunc sententia communis eum obligat tantum, ut restituat pauperibus : hoc in-

(1) n. 585, et I. 4. n. 108. — (2) L. 3, n. 596.

tellige cum desperatur posse alio tempore restitui res aut pretium domino, quia aliter expectandum est, et etiam probabiliter (ut dicunt Lugo, Less. Bonac., etc.) differre potest restitutionem quam cum gravi suo damno facturus esset ; dummodo dominus ex restitutionis dilatione simile detrimentum passurus non sit, ut dicunt Less. Navar. Tambur. Lugo, etc. communiter ; quandoquidem damnam quod obfatum dominus patitur, semper fur tenetur reficere (3).

66. Dubitatur 2. si tu bona fide emis aliquid ab aliquo, et bona fide alteri vendas, et inde verus dominus compareat, ad quid teneris ? Distingendum : si dominus vindicat sibi rem suam e manibus tui emptoris, tunc recte dicunt Lessius, Sotus, Bonac. Castrop. Busemb., etc. te esse obligatum ad restituendum emptori pretium receptum, licet cum eo convenisses quod non teneris ad evictionem, ut expressum est *L. Emptorem, §. Autem, ff. Act. empt.*, quia æquum non est ut venditor lucrum faciat cum damno emptoris. In tribus tamen casibus emptor nequit repetere pretium : 1. Si expresse convenisses de non restituendo nec pretium quidem ; 2. si factus non esses ditior ex ea venditione, v. gr. si consumpsisses bona fide pretium in donationes largiendas, etc. ; 3. si emptor emisset mala fide a te, sciens illam rem esse alienam ; quia tunc in poenam sui delicti (quoties tu expresse eum non cavisses de evictione) non potest suum pretium præterdere, ut habetur ex *L. Si fundum, cod. de evict.* Sed ut advertit Castropal. tunc ne retinere quidem potest pretium, quia in conscientia ante sententiam teneris emptori restituere, et fisco post sententiam. Si vero res non est evicta a domino, sed in manibus emptoris remanet, ad nihil tu teneris, ut dicunt Less. et Salmant. quia tunc non es jam causa, ut dominus privetur sua re ; nec contra

(3) n. 597. et 598.

teneris cum tuo gravi damno efficere, ut dominus eam recuperet (1).

67. Hoc procedit si dominus rei est certus. Si autem est incertus, etiam tunc oportet distinguere, et observare an res in bona, vel mala fide accepta sit. Si res accepta est mala fide, oportet rursus distinguere. Si dominus bonorum incertorum est ignotus tantum in particulari, prout cum scitur res spectare ad aliquam trium, vel quatuor personarum cujusdam loci, tunc nequit fieri restitutio pauperibus, sed res dividenda est inter eas, inter quas persona defraudata existit ; ita Sylvius, Lessius, Castropal. cum p. Navar. Cajet. Molin. et Rebell. (2). Si autem dominus est ignotus etiam in generali, ita ut nulla possit fieri separatio personarum illius loci, inter quas adsint illæ ad quas pertinet res, tunc restitutio bene potest distribui pauperibus, ut præscriptum est *cap. Cum tu, de usur.* Et tunc sufficit illam erogari in pauperes cujuscumque loci aut in quæcumque opera pia. Intelligitur tamen id procedere, cum peracta est jam diligentia debita ad proprios dominos inveniendos, alioquin, si restituatur res pauperibus ante diligentiam, et deinde appareant domini, semper debetur eis refectio damni (3). Præterea intelligitur id, semper ac illi, qui damnus passus est, pauci fuerint, nimirum tres vel quatuor, ita ut, distributione facta in eo loco, verisimiliter res ad proprios dominos non est perventura, prout communiter docent Silvester, Bonac. Navarr. Castrop. Salmant. (4) cum

(1) n. 601 et n. 800. — (2) Sylvius to. 3. in 2. q. 62. art. 5. q. 1. concl. 2. Less. I. 2. de just. c. 14. n. 32. Castr. part. 5. tr. 32. d. 1. p. 18. §. 8 n. 5 cum p. Nav. Cajet. Molin. et Rebell. — (3) Vide opus nostrum I. 3. n. 599. et 596 ad 5. (4) Silvest. verb. Restitutio 8. q. 3. Bonac. I. 2. de restit. in gen. d. 1. q. 3. p. 4. n. 10. Castrop. loc. cit. n. 2. cum p. Navarr. Salmant. tr. 13. de rest. c. 1. n. 215, cum Soto Tapia, et Rebellio.

Soto, Tapia et Rebell. Et quamvis Sylvius loc. cit. concl. 4. dicat magis convenire, quod eo casu restitutio fiat pauperibus loci, ut res fuit ablata, attamen ipsemet suadit cum Silvestro id non esse necessarium. Si autem damnum illatum fuisset pluribus et diversis dominis incertis aliqujus universitatis, tunc omnino facienda est restitutio ejusdem universitatis incolis, ut mox postea hic dicetur, atque distinctius dictam est *num. 28.*

68. Notandum hic quod super iis debitis incertis potest fieri compositio ; sed hæc non potest fieri cum Episcopo, sed cum Papa (aut Pœnitentiaria), ut bene dicunt Lugo, Moll. Turr., etc. contra aliquos ; et intelligitur quoties adest justa causa (5), et cum dominus est omnino incertus ; unde recte dicunt Soto et Henricus non permitti compositionem, cum fit restitutio pauperibus ob domini absentiam, ut dictum est *num. 66. (6)* ; sicut nec permittitur, cum restitutio minorum factorum facienda est ab illis, qui vendunt vinum, oleum, etc., nam illa necessario facienda est pauperibus ipsius loci ; imo juxta sententiam communioem Laym Conc. Salmant. Diana, Spor. Croix, etc., non sufficit eam pauperibus loci facere, ut admittunt Vasq. Anacl. Escob. cum s. Thoma ; sed fieri debet ipsis civibus, qui ad tabernam confluere solent ; licet, ut diximus *n. 28.*, si pauperibus fiat, graviter non peccetur (7). Sed hic dubitatur an debitor remaneat liber ab omni obligatione, licet compareat dominus, facta jam compositione ? Alii negant, dicendo teneri ad id in quo factus est ditior : sed communius affirmant Lugo, Salmant. Trullench. Tap., etc. quia in eo casu Pontifex, ut administrator bonorum temporalium quantum spectat ad bonum spirituale, utique potest transferre dominium, et omnem tollere obligationem (8).

(5) L. 3. n. 599. — (6) n. 594. — (7) n. 595. — (8) n. 592

69. Hoc procedit cum res accepta est mala fide; sed si bona fide, v.g. si quis casu invenit anulum in via, aut ex errore inculpabili recepit majus debito, et nesciat dominum, cui restitutus esset, quæritur an possit sibi ea retinere? Affirmant Sotus, Sa, Navarr., etc. modo præmittat diligentiam; nam, ut dicunt, res derelictæ fiunt primi occupantis. Sed negant Less. Laym. Castropal., etc. dicendo quod res illa aut ejus pretium applicari debet piis usibus, cum præsumatur ea esse domini voluntas. Nos cum Lugo, Croix, et Holzm. distinguimus ita: Si dominus omnino non potest amplius inveniri, tunc retineri potest; quia tunc res pro derelicta habetur, et a primo occupante acquiritur dominium illius. Secus autem, si etiam post diligentiam aliqua appareat spes inveniendi dominum; tunc enim ei res conservanda est, aut ejus pretium: et si neutrum servari potest, debet distribui pauperibus, quia usque dum talis spes durat, dominium est penes dominum (1). Et hanc sententiam tenet s. Thomas (2), dicens: Si (res) pro derelictis habeantur, et hoc credit inventor, licet sibi eas retineat, non committit furtum. Et idem dicendum est de paupere cui fur dedit furtum, cum dominus inventus non sit; nam si spes non erat illum inveniendi, jam in pauperem dominium translatum est, ita ut non teneatur rem domino reddere, licet hic postea compareat (3).

70. Præterea quæritur ad quem spectant thesauri inventi? Dico I. lege communi cum inventor eum invenit in proprio prædio, thesaurus suus erit. II. Cum reperitur in fundo alieno, tunc si casu invenitur, dividendus est inter loci dominum, et inventorem, qui in conscientia tenetur dimidium dare domino, ut dicunt communiter Lugo, Less. Castropal. Laym. Salmant., etc.: sed si ex industria reperitur, totus restituendus

(1) L. 3 n. 603. — (2) 2. 2. q. 66. a. 5. a. 1. 2. — (3) L. 3. n. 590.

erit domino, ut dicitur in *L. unic. c. de thesaur.* III. Si vero thesaurus invenitur in loco publico aut sacro, dividendus inter inventorem, et fiscum, aut Episcopum. IV. Si denique inveniretur arte magica, totus spectabit ad fiscum, sed non ante iudicis sententiam. Ita lege communi; sed lege nostri regni, si in loco publico invenitur non arte propria, totus fisco debetur, si in privato, et casu, tertia pars erit fisci, tertia inventoris, et tertia domini fundi (4).

71. Insuper quæritur cujæ erunt fera, quæ in venatione capiuntur? Si fera ab uno vulnerata est, et ab alio capta, spectat ad capientem semper ac illa fugisset, in dubio vero dividenda est. Quæ tamen in retibus capiuntur sunt illius qui eas tendit (5). Si autem aliquis in silva reservata (quæ a principe, aut ejus privilegiato reservari potest) iterum capit, dicit Less. quod peccat mortaliter, et tenetur illius pretium restituere principi, pro spe quam princeps habere poterat efficiendi suam; sed Soto, Mol., etc. hoc admittunt solo casu, quo locus sit conclusus, et Less. penitus negat, cum præter prohibitionem illic venandi, est imposita poena (6).

72. Advertendum hic, non omnes venationes esse clericis inhibitas, sed solam clamorosam, id est cum strepitu, adhibitis canibus aut avibus rapacibus. Et dicunt Less. Castrop. et Rebell. ne clamorosam quidem interdictam esse sub gravi, nisi fuerit frequens, aut cum scandalo, aut cum magnis impensis. Addunt alii (ut Mol. Cajet. Sa, Spor., etc.) numquam esse damnandum culpa gravi, præciso scandalo, clericum ob solam venationem; nam in textu *cup. 1. de cler. venant.* illa non vetatur, nisi sub suspensione ferendæ sententiæ, imo Laym. Less. Valent. et Sa sentiunt esse licitam, si sit rara, et moderata et si fit causa necessitatis, aut exercitii. Hinc doctus auctor libri cui titulus

(4) n. 602. — (5) n. 604. — (6) n. 605.

(*Istruzioni per li nov. confess.*) concludit venationem non clamorosam esse omnino recreationis causa licitam; et clamorosam non esse mortale, nisi absit contemptus et contumacia. Religiosis vero clamorosa strictius vetita est ex Clem. 1. §. *Porro, de statu Mon.* Sed Castrop. dicit ne mortale quidem esse, nisi adsit scandalum; saltem (dicunt Salmant.) si ter, aut quater sine gravi strepitu eam exercent in anno (4).

PUNCTUM IV.

QUID RESTITUENDUM EST A POSSESSORE BONÆ FIDEI, ET QUID A POSSESSORE MALÆ FIDEI.

73. De possessore bonæ fidei.
74. De fructibus naturalibus, civilibus, mixtis, et industrialibus.
75. Qui recipit a fure rem ablatam mixtam cum re illius.
76. Qui infert damnum existimatum minoris quo valet.
77. De possessore malæ fidei.
78. Quid si res crescit, aut crevisset pretio, et de expensis utilibus a fure factis, et de eo qui se simulat pauperem.
79. Si res etiam periisset apud dominum.
80. Qui emit cum dubio.
81. Qui defraudat gabellas.

73. Loquendo de possessore bonæ fidei, nempe de eo qui domino injuriam tantum materialem intulit (injuria materialis dicitur quæ caret culpa, formalis cum culpa) ille tenetur restituere rem tantum si existit, aut si cum sua confudit, tantum id in quo factus est ditior: itaque si vestem alienam consumpsit, tenetur ad id quod impensurus erat in propriam sibi conficiendam (2). Sed in dubio sit vel ne factus ditior, ad nihil tenetur, ut dicunt Sanch. Croix, et alii, quia in dubio nemo tenetur re sua privari (3). Dicunt nonnulli dd. quod qui bona fide recipit pecuniam a fure, non tenetur restituere eam domino, licet illa existat; sed hæc opinio non mihi videtur pro-

(1) L. 3. n. 606. — (2) N. 607. et 608. — (3) N. 706.

habilis, quia dominium pecuniæ in specie spectat ad dominum sicut et cæterorum omnium (4). Ad quid autem teneatur possessor bonæ fidei, superveniente domino quod non potest dilucidari? Vide quod dictum est *Tr. 1. num. 20*

74. Insuper possessor non tantum debet restituere rem, sed etiam fructus ab illa perceptos. Sed hic oportet distinguere fructus naturales a civilibus, a mixtis, et ab industrialibus. Naturales sunt illi qui a sola natura producuntur, ut sunt pascua, animalium fetus et hujusmodi. Civiles sunt illi qui percipiuntur a domorum, aut pecudum locatione; et etiam librorum, vestium etc. ut tenendum est cum communi contra Laym. Mixti sunt illi qui partim a natura et partim ab industria habentur, ut sunt oleum, vinum; caseus etc. Industriales denique sunt illi qui sola industria acquiruntur, ut est lucrum quod percipitur a pecunia, quæ negotiationi exponitur, aut a melioramenti rei factis. Fructus autem naturales et civiles debent integre (ablatis expensis) restitui, tum a possessore bonæ, tum malæ fidei, hæc differentia, quod possessor bonæ fidei ad nihil tenetur, si nihil percipit, aut si in bona fide eos consumpsit, et in nihilo sit factus ditior, aut si eos præscripsit possessione triennalis spatii cum titulo, aut 30 sine titulo, ut jam dictum est n. 10. Sed possessor malæ fidei semper integre, debet fructus prædictos restituere, quamvis eos non perceperit, si dominus jam percepturus esset, si res apud se fuisset; et licet dominus exacturus non fuisset, etiam tenetur restituere, quando jam ipse percipit, quia res semper domino fructificat. Fructus mixti denique debent restitui eadem regula, nempe bonæ vel malæ fidei; sed hic advertendum, quod jam non debent restitui prædicti fructus (ut dicunt aliqui) sublati expensis, et laboris valore, sed

(4) Cit. n. 608. v. Dicunt.